



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 26. Altera Constantinopolim Legatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. scripsit, ut illi, & Episcopis Galliaë Illy. A. C. 517. ricorum reditum nunciaret. Mentio-
nem injicit de aliqua in Orientem Le-
gatione, quæ secunda fuerit, & eventum
se expectare significat. Hæc Epistola
data est sexta Sept. Florentio Consule,
qui anno 518. ponitur; sed suspecta est
hæc Dies.

§. XXVI.

Altera Constantinopolim Legatio.

*Lib. Pont. in
Hormisd.
Ep. II.* **H**aud diu post istam ad S. Avitum da-
tam Epistolam Hormisdas Papa Le-
gatos suos secundo Constantinopolim i-
ter ingredi jussit. Ad hanc Provinciam
rursus delegit Ennodium Ticinensem,
cui socium dedit Peregrinum Misena-
tem, tradiditque ferendas Epistolas sex
cum Libello, seu Formula, qua Schisma-
tici reditum ad Ecclesiam profiterentur;
præterea exempla novendecim Prote-
stationis, quæ per urbes spargere debe-
bant, si ipsorum Epistolæ non reciperen-
tur. Epistola prima dirigitur ad Anasta-
sium Imperatorem, quem Papa hortatur,
ut quæ promisit, præstet, docetque,
non satis esse, si Nestorium, & Euty-
chem damnet, nisi etiam damnet Aca-
cium, Auctorem enormis mali, & causam,
quod Ecclesia Alexandrina in Schismate
persistat, quo reliqua Orientis funesto
fato usque in illam horam involverentur.

Secun-

Secunda Epistola data est ad Timotheum Sæculum VI.
 Episcopum Constantinopolitanum. VI- A. C. 517.
 ro in hanc Sedem intruso, & excommu-
 nicato maxima Charitate scribit Ponti-
 fex, hortaturque, ut redeat ad unitatem,
 & Imperatori ad eam restituendam sup-
 plicet. Scripsit etiam Papa Episcopis
 Schismaticis Orientis; credit, plerosque
 veram Fidem tenere, sed dicit, jam ne-
 cessitatis esse, ut eam manifestent, &
 magno animo profiteantur. Dedit e-
 tiam Epistolam ad Orthodoxos, ut in æ-
 rumnis consolaretur. Item privatim
 ad Episcopum Africanum, cui nomen
 Possessor. Hic e Patria ab Arianis pul-
 sus venerat Constantinopolim, unde per
 manus Legatorum priorum Confessionem
 Fidei suæ ad Papam miserat, & Religio-
 nis Causam viriliter defendebat. Tan-
 dem etiam Papa Populo Monachisque
 Constantinopolitanis scribit, consolatur,
 & animum addit. Omnes hæ Epistolæ
 eadem die 3. Apr. 517. datæ.

Ep. 12.

Ep. 13.

Ep. 14.

Ep. 15.

Ep. 17.

Vix in viam se dederant Legati, cum
 Nicopoli Romam advenientem Diaco-
 num Papa statim in conspectum admisit,
 solerter conjiciens, ex eo intellecturum
 se aliqua, quæ Mandatis Legatorum suo-
 rum non nihil addere cogerent. Dia-
 conus iste Papæ tradidit Joannis Episco-
 pi Nicopolitani, & Concilii Provinciæ
 illius Epistolas, in quibus querebantur,

Hist. Eccles. Tom. VII.

T Do-

Sæculum VI. Dorotheum Episcopum Thessalonicen-
A. C. 517. sem contra ipsos concitare locorum Ju-
 dices, & Imperatoris Prætores; hinc se
 exactionibus intolerabilibus vexari. Ad
 iracundiam ideo commotum esse homi-
 nem, quod Joannes per litteras ei non
 communicasset, se ordinatum fuisse E-
 piscopum. Verum quidem, id Joannem
 Dorotheo debuisse indicare pro antiqua
 consuetudine, quæ Episcopo Thessaloni-
 censi in totum Illyricum Occidentale
 tanquam Sacræ Sedis Vicario Jurisdi-
 ctionem tribuebat. At vero cum Do-
 rotheus Schismati inhæreret, & Episco-
 pi Epiri essent Catholici, Vicariam S. Se-
 dis Dignitatem in eo agnoscere non pot-
 erant. Nihilominus petebant a Papa
 licentiam eidem in illis angustiis pro-
 more scribendi, ut se a persequentium
 furore liberarent.

Ep. 19.

Altera Le-
 gatio,

Ep. 21.

Litteris hisce acceptis Papa Legatis
 suis quatuor misit Epistolas eadem die
 12. Apr. 517. datas. Prima ad Anasta-
 sium Imperatorem directa est; rogat, ut
 Episcoporum Persecutores cohibeat, sic
 enim futurum, ut & alii Episcopi isto-
 rum exemplo ducti ad unitatem rever-
 tantur. Secunda dirigitur ad Joannem
 Nicopolitanum, & Concilium ejus. A-
 cerbe reprehendit, quod licentiam E-
 piscopo Thessalonicensi scribendi a se
 petiissent; si enim huic Schismatico se
 subji-

subjicerent, quid hoc aliud esset, quam ^{Sæculum VI.} ad Schisma, quod reliquerant, redire, & ^{A. C. 517.} eodem etiam Papam, qui cum ipsis communicaret, implicare? Scribit etiam ad Dorotheum, cujus Epistolæ hæc est Summa: *Esset tibi conquerendi causa, si nos omnes Charitas conjungeret. Non contemnitur antiqua consuetudo, sed Schisma vitatur, & tuum erat Constantiæ Exemplum ceteris præbere. Qua fronte repetis Privilegia concessa tibi a Sancta Sede, cujus Fidem non tenes? imo dum revertentes ad ejusdem Sinum persequeris?* Tandem Papa Legatis suis scribit, & mandata mittit in hunc modum: Epist. 22.

Ubi Thessalonicam perveneritis, Episcopo Epistolas nostras reddite, & dum cum ipso versamini, servate ea omnia, quæ vobis præcepimus circa Episcopos cum Sacra Sede non communicantes. Fortiter instate, ut Persecutioni contra Ecclesiam Nicopolitanam finem faciat. Dicitis, Episcopum, cum ad Ecclesiæ Communionem rediret, non potuisse communicare cum illis, qui essent separati; & si Dorotheus redire velit, non modo ipsius Privilegia non abolituros nos esse, sed unacum ipso, ut salva sint, invigilatos. Si Rem Thessalonicæ conficere potestis, id perscribetis Episcopo Nicopolitano. Si flecti Dorotheus nequeat, hanc Causam coram Imperatore prosequemini,

ep. 17.

ep. 18.

Sæculum VI. secundum Epistolas, quas hac super re ad
A. C. 517. *eum damus. Dicetis: Nisi hos Episcopos*
vexari probibeas, omnes credent, Joannem
Nicopolitanum ideo Persecutionem pati,
quod ad Communionem Sanctæ Sedis re-
dierit, & qui sperant, te concordiam pro-
curaturum, fidem tuam suspectam habe-
bunt. Expedire credimus, subjungit
Papa: ut Epistolas nostras ad Episcopum
Thessalonicensem datas in diversis locis,
& præcipue in ipsius Civitate evulgetis.
Fortè hæc res Persecutionem mitigabit, &
eum ipsum corriget.

Lib. Pont. in Non felicior secundæ hujus Legatio-
Hormisd. to. nis exitus, quam primæ fuit. Anastasius
4. Conc. p. Imperator rejecta Concordiæ formula
1460. Legatos auro corrumpere conatus est,
 sed cum operam perderet, per Posticam
 emissos cum Magistris, & duobus
 Præfectis Heliodoro & Demetrio navi-
 gio imponi jussit, addito mandato, ne
 in quamcunque Civitatem divertere si-
 nerentur. Legati nihilominus novende-
 cim illa Protestationis Exempla in popu-
 los sparserunt opera Monachorum, qui
 ea in omnibus urbibus vulgarunt. Ac
 Episcopi, si qua ad eorum manus deve-
 nerunt, timentes, ne accusarentur, om-
 nia Constantinopolim miserunt. Tunc
 vero Imperator Anastasius irritatus un-
 decima Julii eodem anno 517. ad Pon-
 tificem dedit Epistolam, quam post lon-
 gas

gas ambages a locis communibus de JE-
 fu Christi mansuetudine petitas claudit Sæculum VI
A.C. 517.
 in hæc verba: *Rationi consentaneum non*
putamus, illos rogare, qui ad aliorum pre-
ces pertinaciter aures occludunt, nam
injurias quidem, & contemptus, sed
non imperia pati possumus. Hæc ille,
 postquam toties pollicitus fuisset, Eccle-
 siæ Pacem restituere. Tum Episcopos
 ferme ducentos, qui ad celebrandum
 Heracleæ Concilium venerant, frustra
 fatigatos domum dimisit. Populo Se-
 natuque perjurii turpitudinem expro-
 brantibus respondit, Legem existere, quæ
 Imperatorem, si opus fuisset, pejerare, &
 mentiri juberet. Hinc etiam hunc
 Principem pessimis Manichæorum prin-
 cipiis imbutum crediderunt.

§. XXVII.

Elias Jerosolymitanus ejicitur.

Anastasius comperto, quod Elias Pa-
 triarcha Jerosolymitanus cum Seve-
 ro Patriarcha Antiocheno intruso com-
 municare recusasset, iram non tenuit,
 sed Olympium Ducem Palæstinæ misit,
 qui technis, & fraudibus frustra consum-
 ptis tandem Eliam Sede expulit, atque
 Ailam in Exilium misit. In ejus Sedem
 suffecit Joannem, olim Crucis Custo-
 dem, qui Severi Communionem se am-
 plexurum promisit. Ordinatus est Epis-

Vit. S. Sabæ
n. 56. p. 310.
Theoph.
p. 134.